

potest in particulari, et sic vident totum Deum ut est in se formaliter, non totum Deum comparative, sicut qui videt totum hominem, non tamen penetrat interiora ejus, aut ea quæ ab ipso exeunt, videt hominem totum, sed non explicat, aut comparat totum. Et hoc est videre totum, sed non totaliter, id est, sic videre totum ut constitutum, quod non videat totum, ut comparatum ad ea, quæ ex ipso esse possunt, et sic vident ipsum ut habentem omne esse, non ut dantem omne esse, nec comparatum ad alia esse, quæ etiam ad ipsum pertinent. Et in idem recidit dicere quod videt Deum in se, sed non omni modo, et quod videt quidditative, et clare, sed non omni modo quo cognoscibilis est.

XVII. Et cum instatur, quod beatus videt omnem modum qui se tenet ex parte Dei, ita ut nullus modus etiam respectu creaturarum (qui non est aliud quam eminentia Dei) sit in Deo quem non videat beatus, ergo non solum ex parte substantiæ, sed etiam ex parte modi totum Deum videt, ergo nec etiam ex parte modi aliquid latet videntem, alias in re tam simplici, et indivisibili aliquid divideretur, et lateret videntem si modum aliquem non videret in Deo. Quod vero non cognoscatur sub omni cognoscibilitate nihil obstat ad comprehensionem, nec enim comprehensio debet sub omni cognoscibilitate Deum attingere, alias ut Deus se comprehenderet, deberet cognoscere se, etiam ea cognoscibilitate qua a creaturis cognoscitur.

XVIII. Respondetur quod ut dicit D. Thomas citato articulo vii ad iii, totus modus qui est in objecto videtur, sed non adæquatur illi modo objecti, modus videntis. Quid sit autem non adæquari ei nec includere ipsum, licet videat ipsum, ex-

plicatur ex dictis, quia licet intellectus videat omnem modum, et infinitatem prout habet esse in Deo, et formaliter est in ipso, non tamen omnia ad quæ habet eminentiam, et ordinem, et quæ ex illo participari possunt, explicat, et evolvit, et sic videt totum esse illius modi, sed non totum esse quod est ex illo modo. Unde divina essentia, et modus ejus (idem quippe sunt) virtualiter est multiplex, licet formaliter sit simplicissima res, et illud virtualiter multiplex non est habere in se, et in suo esse plures virtualitates existentes, sed unam virtutem ad plura tendentem, et in plura se explicantem, et potest videri illa virtus seu virtualitas ejus, non vero omnis explicatio ejus ut tangit terminos in quos explicatur, et sine quibus non explicatur. Neque hoc est dividere illud, quod est indivisibile quantum ad id quod habet in se de esse, et ex parte sui, quasi aliquid esse videatur, aliud non videatur, sed dividere, seu latere ipsum Deum, ut explicat, et comparat se ad ea quæ sunt extra, apparere autem quoad totum esse quo in se constituitur, licet enim sit res indivisibilis, fundat tamen et est principium infinitæ multiplicatis, et ideo non repugnat quoad hoc multiplex latere, non quoad esse quod in se est, sicut non dicimur comprehendere aliquod principium ex quo plures conclusiones deduci possunt, nisi omnes illas deducamus ex illo. Nec in corporalibus comprehenditur aliqua quantitas nisi tota includatur, et ambiatur, non si solum attingatur, sic in intelligibilibus nisi tota virtus rei penetretur, et omnes ejus rationes non solum in se, sed in ordine ad omnes effectus, non comprehenditur intelligibilitas ejus. Et sic non cognoscitur omni modo quo cognoscibilis est, non quia requiratur ad comprehensionem

omnes modos cognoscibilitatis imperfectos, et extraneos ab ipsa re, attingere, sed omnes modos cognoscibilitatis, qui in ipsa re fundatur, et ad perfectam intelligentiam illius conveniunt. Intelligere autem Deum eo modo quo a nobis per connotationes, et effectus attingitur, est modus cognoscendi imperfecte, non magis explicans Deum, sed obscurans, nec fundatur in ipso Deo ut est in se, sed ut imperfecte extra se in effectibus attingitur.

JUDICIUM DE ALIIS EXPLICATIONIBUS
CIRCA INCOMPREHENSIBILITATEM DEI.

XIX. Nominales minus bene explicaverunt incomprehensibilitatem Dei distinguentes quatuor modos comprehendendi. Primus, quando res cognoscitur summa cognitione. Secundus, quando cognoscitur ita quod distincte omnes partes ejus videantur. Tertius, quando omnia prædicata essentialia ejus videntur. Quartus, quando ita cognitio rei excedit omnes alias cognitiones, quantum re ipsa excedit omnes alias res. Sed primus modus non est ad rem, quia cognoscere rem summa cognitione soli Deo convenit, et sic solus Deus comprehenderet etiam minimam creaturam; quicumque autem intellectus creatus ita cognoscit, quod supra illum potest esse major cognitio, et sic illa non est summa. Secundus modus solum convenit comprehensioni rei habentis partes, non Deo, vel rebus spiritualibus. Tertius modus non sufficit, quia omnes beati vident omnia prædicata essentialia, quæ in Deo sunt, alias si aliquid omitterent, non viderent quiddid formaliter constituit Deum, et habet esse in Deo, et sic non viderent Deum ut est in se. Quartus modus petit principium, et ponit pro conditione id in quo

est difficultas, nam dicere quod cognitio comprehensiva tantum debet excedere illas cognitiones, sicut objectum comprehensum alia objecta, est dicere quod cognitio comprehensiva Dei debet esse increata, ut excedat omnes creatas, sicut Deus excedit creaturas. Hoc autem est quod inquirimus, cur non possit dari creata cognitio comprehensiva Dei.

XX. Similiter, quod alii dixerunt Deum, ideo non comprehendi a beatis, quia non omni gradu intensio- nis eum vident, et sic aliquid de his, quæ in Deo sunt formaliter, ipsos latet, quod Vasquez hic disputatione liii, attribuit Victoriæ; hoc ex dictis constat esse falsum, tum quia si aliquid de his, quæ formaliter sunt in Deo lateret beatos, non viderent Deum ut est in se, quia aliquid divinum ut pure est, in se non viderent, et in Deo idem est aliquid et totum propter summam simplicitatem; tum quia data quacumque intensissima visione, si creata est, Deum non potest comprehendere, alias Deus ab aliqua creatura esset comprehensibilis.

XXI. Denique, advertendum est quod p. Vasquez dicta disp. liii, cap. iv, convenit cum nostra sententia in hoc quod beati non comprehendunt Deum, quia non vident Deum, et creaturas ex vi visionis divinæ essentialiæ, licet videre possint omnes creaturas concomitanter, vel eodem actu, vel diversis. Non vident autem ex vi visionis creaturas, quia Dei omnipotentia omnino est absoluta, et non habet relationem aliquam, vel connexionem cum creaturis. Visio autem quæ ex vi sua, et sui objecti primarii non videt creaturas indiget aliunde juvari ut eas videat, et sic deficit ex se a comprehensione. Quia vero posset instari: Quomodo ergo Deus se comprehendit, quia etiam non potest in

vi omnipotentiae videre creaturas, ob eandem rationem, quia absoluta est a creaturis? Respondetur Vasquez, ibidem num. xvii in fine, quod Deus est sua sapientia, et cognitio, qua se novit, et creaturas, et ita vi suae cognitionis eas attingit. Quod p. Alarcon disp. iv, cap. vi, num. vii, ulterius explicat quod Deus videt creaturas in vi essentiae suae tamquam objecti formalis, et primarii a quo specificatur cognitio divina; ut a prima veritate, ratione cuius habet vim cognoscendi creatam veritatem. Cognitio autem creata terminata ad Deum non habet cognoscere creaturas in vi divinae essentiae ut objecti formalis primarii. Haec ratio impugnat a Suarez libro ii de attrib. cap. xxix, num. ix, et a m. Gonzalez hic disp. xxx, sect. ii, et redarguitur inconsequentiae, quia si omnipotentia dicitur ita absoluta a creaturis quod neque in illa, neque ex illa videntur tamquam in causa, et maneret omnino eadem omnipotentia etiamsi omnes creaturae desinerent esse possibles, ergo cognitio creaturarum in visione Dei vel ex vi visionis nihil confert ad perfectionem, et exactam Dei cognitionem, stat enim bene quod creaturis redditis impossibilibus, comprehendatur Deus a se sua visione,

et creaturas non videat. Et confirmatur, quia ideo creaturae non videntur ex vi visionis a beatis, quia non sunt objectum illius visionis, neque connexionem habent cum tali objecto, scilicet cum essentia Dei; ergo disparate se habent ad tale objectum, utpote non connexae cum illo, ergo cognitio creaturarum non conducit ad exactiorem, et perfectiorem cognitionem Dei, et consequenter neque ad ejus comprehensionem, sicut ad comprehendendum leonem non conducit cognoscere lapidem, quia lapis non habet connexionem cum illo, sed disparate se habet. Ad quid ergo recurrit Vasquez ad cognitionem creaturarum ex vi visionis pro comprehensione Dei, si connexionem illi negat cum creaturis, et cum earum possibilitate? Et haec sufficiant pro tractatu de visione Dei.

XXII. Restabat tractare de his quae ad statum beatitudinis pertinent, ut de impeccabilitate, perpetuitate, aliisque concomitantibus beatitudinem. Sed quia haec pertinent ad beatitudinem, ut finis ultimus in quo quiescimus, et ideo tractatur a D. Thoma in initio 1-2, quæst. iv et v, id etiam nos reservamus pro tractatu de ultimo fine.

QUÆSTIO XIII.

DE NOMINIBUS DEI.

Pertinet specialiter ista quæstio ad modum cognoscendi Deum in hac vita per effectus, et nominandi ipsum, sicut a viatoribus nominatur. Et ideo tractat D. Thomas quomodo a nobis possit Deus nominari, et quomodo nomen aliquod ei conveniat, et quomodo conveniant quae dicuntur de Deo cum his quae dicuntur de creaturis. De nominibus etiam dictis de Deo ex tempore, ut quod sit creator, Dominus, et similia. De quibus omnibus luculenter tractat D. Thomas in hac quæstione et Cajetanus ibi et aliqua notant recentiores aliqui ad hanc quæstionem, sed quia faciliora sunt, et multa de his pertinent ad tractatum de analogia nominum, de quibus egimus in logica, ideo transeamus.

QUÆSTIO XIV.

DE SCIENTIA DEI.

In ipso initio quæstionis advertenda sunt verba D. Thomae cum inquit: « Quod post considerationem eorum, quae ad divinam substantiam pertinent, restat considerare de his quae pertinent ad operationem ipsius. » Ubi sanctus doctor non dixit se huc usque egisse de natura divina, sed de his quae pertinent ad substantiam Dei, nec dixit, modo considerare tantum de operationibus divinis, sed de his quae pertinent ad operationem Dei; ubi satis insinuat se non agere solum de operatione, sed etiam de his quae ad operationem pertinent. Inter quae primum, et principale est ipsa natura sub conceptu naturae, id est, ut radix, principiumque operandi. Quare agendo de intelligere Dei, simul agit de ipsa natura Dei sub con-

ceptu naturae, quae ut postea videbimus disputatione sequenti, articulo secundo constituitur per ipsum actuale intelligere.

Quatuor autem praecipua sunt quae D. Thomas considerat in hac quæstione de scientia Dei, primum, an sit et quid sit intelligere in Deo. Secundum, quod sit objectum primum divinae scientiae, scilicet ipse Deus, et quomodo attingit illud; quod totum praestat quatuor primis articulis. Tertium, circa objectum secundarium, quod sunt res creatae, et non entia illis opposita, et specialiter agit de illis in quibus est specialis aliqua difficultas ut circa singularia, futura contingentia, infinita, privationes, mala, etc. Et quomodo causentur a scientia, vel non causentur, quod totum praes-